



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 10. Sensus humanos errare posse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

Vititur in pecudes, & nunc quoque sanguine gaudet.

In villos abeunt vestes, in crura lacerti,  
Fit lupus, & veteris servat vestigia forma.  
Canities eadem est, eadem violentia vultus,

Idem oculi lucent, eadem feritatis imago est.

Et quod de Hecuba ----- Priameia coniunx  
Perdidit infelix hominis post omnia formam,

Idem  
lib. 13.  
Metam.

Externasq; nouo latratu terruit auras.

Item quod de Mida, qui Aures induitur len-  
te gradientis aselli. Qualibus mutationibus  
pleni sunt Metamorphoseon libri; immo  
& Homerus, & Virgilius, & alij Poetae,  
qui de Vlyssis socijs, a famosissima illa ma-  
ga Circe in sues, sicut & Diomedis comi-  
tes in volucres conuersi memorantur.

§. X.

Sensus humanos errare posse.

Ob haec autem talia opus non fuisset, vt  
Gaspar Peucerus Philippi Melanchthonis  
focer palinodiam caneret, & alij illius  
assectae in eam sententiam descenderent.  
Verum sicut a verae religionis doctrina im-  
pie descuerunt isti, ita & in Philosophia

varios incurrunt errores: quia intellectum de sede sua, in qua eum supremus arbiter collocavit, deturbantes, principem locum sensibus, quos rationi natura subdit, assignant. *Victus experientia sum*: ait Peucerus, Rationi, mi homo, cedere debet sensus, cuius iudicia sæpe corrigit intellectus, qui errores esse ostendit, quos oculi putant esse demonstrationes. Qui visu solem metitur, communi rota dicit non esse maiorem; stellas autem reliquas ne rotæ quidem æquiparabit. An igitur censendum est asserendumque, solē rotis, stellas pomis esse æquales, dicendumque: *Victus experientia sum?* nequaquam. Sicut ergo diuina fides humanam rationem; ita ratio sensum debet regere. Antè, quàm igitur ad ea, quæ obiecta sunt, respondeam, rei veritatem breuiter explicabo.

## §. XI.

*A diabolo non posse homines in bestias, aut bestias in homines conuerti.*

Sentio igitur primò, multa quidem de commemoratis ficta & fabulosa esse, plurima autem contigisse, negari non posse; immò quædam qui contra tot oculos negaret, impudens; qui contra diuinas litteras inficias